Bot

MISSOURI
BOTANICAL
GARDEN

eere

LIBRARY OF
WILLIAM CAMPBELL STEERE

G. E. STECHERT & CO.
ALFRED HAFNER
NEW YORK

QK505
.M52
1803

# Obſervationes Botanicae

WILLIAM CAMPBELL STEERE

quibus

conſentiente

Ampliſſ. Philoſophor. Ord. Kilon.

pro gradu

Doctoris Philoſophiae nec non LL. AA.

Magiſtri

rite obtinendo

plantarum cryptogamarum ordines, genera
et ſpecies illuſtrare conatus eſt

auctor

*Dan. Matth. Henr. Mohr,*
Quickbornâ-Pinnebergenſis,
Soc. phyſ. Goetting. adſcr.

---

Kiliae
typis C. F. Mohr.
1803.

MISSOURI BOTANICAL
GARDEN LIBRARY

Fautori atque amico

pie devenerando

*Carolo Petro Thunberg,*

Equiti, Professori, rel.

hasce plagellas

in gratae mentis testimonium

d. d. d.

auctor.

---

Quis eſt, qui neſciat, quâ ratione *Linnéus* pater ordines in ceteris ſyſtematis ſexualis claſſibus diſpoſuiſſet, eâdem ſummum virum in conſtituendis plantarum cryptogamarum ordinibus non verſatum eſſe? Plantarum enim cryptogamarum cum *fructificatio* tum temporis vix ac ne vix quidem obſervata eſſet; hinc factum eſt, ut ordines exhiberet Linnéus in eâ claſſe, principiis ſyſtematis nullo modo accommodatos, eos inquam, qui non niſi *familiae* ſic dictae *naturales* appellari merentur.

*Jo. Hedwigius* primus uni in cryptogamâ claſſe plantarum familiae talem tribuit characterem, qualem verus *ordo artificialis* ſecundum principia Linnéana efflagitat. *Muſcorum* nomine inſignivit immortalis vir *plantas* (cryptogamas) *calyptratas;* quâ quidem notâ hasce plantas a ceteris omnibus ejusdem claſſis vegetabilibus eximie diſtinxit.

Linnéi *Filices*, *Radicalium* familiâ et *Equiſeti* genere exceptis clar. *Hoffmann* [1]) in duos diſpeſcuit ordines, *bivalvium* nempe

1) Deutſchl. Flora, od. botan. Taſchenbuch. 1795.

et *annulatarum.* Fructubus autem reverâ bivalvibus non multae (de quo infra fuſius diſputabitur) immo ex iis annulo deſtitutarum gaudent Filices, quibus capſulae ſunt uniloculares. Exſtat vero genus, cui capſulae (non annulatae) *multiloculares*, alia, quae *duplici*, ut ita dicam, *capſulâ* inſtructa ſunt. Haec autem in *bivalvium* ordinem redigi non poſſe, quis eſt, qui non perſpiciat? *Thecatas* cel. *Smith* [2]) *dorſiferarum* eas denominat Filices, quibus annulus articulatus nullus eſt. Recentiores vero, uti *Hedwigius*, *Bernhardius* [3]), *Swartzius* [4]) Filices annulo articulato carentes *exannulatas* vel *agyratas* vocarunt. Attamen excepit cel. *Swartz* quaedam genera ſub nomine *affinium*, in quibus frondes juniores *circinales*, ceteris propriae Filicibus, ſint vel annulatae vel non annulatae, minime reperiuntur, quae igitur ſingulari quodam charactere *naturali* a reliquis omnibus, cum exannulatis, tum annulo cinctis generibus abhorrent [5]).

2) Mémoires de l'academie de Turin. Vol. V.

3) in Diar. botan. Schrader.

4) Genera et ſpecies Filicum ordine ſyſtematico redactarum, in Diar. botan. Schrader. T. IV.

5) Cf. Diar. botan. Schrader. T. V. p. 307.

Cel. *Willdenovius* [6]) e generibus Swartzio affinium ſub voce conſtitutis *Lycopodium* et *Pſilotum* adjungit *Equiſeto*, indeque ordinem conficit *Stachyopteridum*. Reliqua vero duo genera affinium, *Botrychium* nempe et *Ophiogloſſum* in exannulatis Filicibus retinenda cenſet. Qui autem *Equiſetum* cum ullâ aliâ Filice unum in ordinem ſyſtematis artificialem cogi poſſit me plane non videre lubenter fateor.

Splendidi operis in Gallorum republicâ nuperrime evulgati auctor, clar. *Michaux* [7]) *Pſilatum* genus nec non *Lycopodium* proprio *Lycopodacearum* ſcilicet ſub ordine propoſuit. Sed clar. virum ejusmodi fructu quo ejus Lycopodaceae gaudere *Botrychium* et *Ophiogloſſum* fugit.

*Affinia* Swartzio *genera*, qualia ſunt a celeb. viro propoſita *artificialem* nequaquam *ordinem* efficiunt. Exannulata enim genera non ſunt poſitive definita, ſed tantum negative. Si quis itaque vellet pro claſſis cryptogamae ordinibus ponere Filices *annulatas*,

6) D. C. L. Willdenow's Bemerkungen über einige ſeltne Farrnkräutern. Mit drey Kupfertafeln. Erfurt 1802. 8. p. 11.

7) Flora boreali-americana. II Tomi. Pariſ. 1803. 8.

*exannulatas* et *genera affinia* a vere artificialibus hujus claſſis ordinibus vehementer aberraret.

Clar. *Bernhardius* [8]) primus exannulatarum Filicum uniloculares capſulas non omnino eſſe bivalves intellexiſſe mihi videtur. Suis nimirum *Odontopteridis*, *Giſopteridis*, *Ripidii* generibus, nec non Hoffmannianae *Angiopteridi* capſulas tribuit ſeu ſporangia rimâ dehiſcentia.

Sed nec eximium Filicum ſcrutatorem, amicum pie devenerandum *O. Swartzium*, qui [9]) plura Filicum genera ac ſpecies inprimis ex non annulatarum cohorte accuratiori nuper ſubjecerit examini effugere potuit, *Angiopteridis*, *Gleicheniae*, *Lygodii* capſulas, quas antea [10]), bivalves declaraverat, minime reverâ duabus e valvibus eſſe conſtructas. Attamen *Osmundarum* plurimarum, uti *regalis*, *claytonianae*, *tottae*, aliarum, capſulas denuo bivalves nuncupavit vir ἀκριβέστατος, adnotans, *adianthifoliae*, *auritae*, *phyllitidis*, *hirtae*, *hirſutae*, *verticillatae* fructus diverſae prorſus eſſe indolis,

8) in Diar. botan. Schrader. T. IV.
9) v. Diar. botan. Schrader. T. V. p. 273 ſqq.
10) Diar. botan. Schrader. T. IV.

iis nempe eas adſcribi debere capſulas *vertice concentrice ſtriatas*, quibus gaudent annulata olim perperam putata *Schizaea* nec non *Lygodium*. Sed hîc ne error irrepſerit vereor. Quae enim *Bernhardio* 11) et *Swartzio* audiunt ſporangia *vertice concentrice ſtriata*, haec ſemper, uti Osmundae *regalis*, *tottae*, *Gleicheniae* nec non *Todeae* Willden. ſporangia per totam ſuperficiem, nec ſolummodo vertice ſtriata reperi. Striae vero longitudinalis a ſic dicto auctorum nominatorum vertice parumper productae vaſibus interruptae transverſalibus, infima majori capſulae ovoideae parte obſcurae evadunt. Sed cum reverâ adſint hae ſtriae, non putaverim, ejusmodi capſulas, in *Schizaeâ*, *Lygodio* nec non quibusdam obvias *Osmundis*, reapſe diverſas eſſe cenſendos ab iis ceterorum exannulatarum *Swartzio* proprie dictarum Filicum, quibus capſulae ſunt uniloculares. *Angiopteridis* capſulae intermediae, ut ita dicam, ſpeciei; ſunt enim uti *Schizaeae* et *Lygodii* ovoideae et uno apice depreſſae, ſed, uti *Gleicheniae*, rel., ſtriis aequalibus notatae.

Quodſi igitur omnium exannulatarum Filicum genera, quae *circinali vernatione* utun-

11) in *Ripidii* genere; v. Diar. botan. Schrader. T. IV.

tur fructubusque unilocularibus, h. e. genera cel. *Swartzio* exannulata unilocularia, assumtis nunc Smithii *Schizaeâ* nec non Willdenovii *Todeâ* capsulis gaudent eodem modo constructis, nempe

ovoideis vel ovalibus, ab uno saepe dissimili, uti bene *Michauxius* [12]) perhibet, ad alterum longitudinaliter striatis apicem, rimâ tandem, a primo apice ad secundum solummodo progredienti dehiscentibus (nec ullo modo vere bivalvibus):

haec omnia genera, scilicet *Todea*, *Schizaea*, *Osmunda Sw.*, *Lygodium*, *Gleichenia* et *Angiopteris artificialem* cryptogamae classis *ordinem* optime constituere mihi quidem videntur, voce forte

RIMATARVM

insigniendum.

*Obs.* Osmundarum *regalis*, *claytonianae*, *cinnamomeae*, *tottae*, *japonicae*, *lanceae* capsulas quidem clar. *Swartz* in Diar. botan. *Schrader* T. V. p. 299 et 300. denuo, bivalves dicit eodemque loco (p. 307.) de *Botrichii* contendit

12) in charactere generico *Lygodii* generis, quod ei *Cteisium* audit, l. c.

genere, id »capſulis — ad partem dehiſcentibus ſeu hiantibus, *nec bivalvibus*, ab Osmundis diverſum« eſſe. Capſulae vero Botrychiorum cum e duabus partibus plane ſeparandis conſtent (uti bene etiam monet clar. *Michaux* [13]), animadvertens, hujus generis capſulas »omiſſo nexu poſtico eſſe liberos et transverſe aequaliter bivalves«), *Osmundarum* vero laudatarum ſporangia uno tantum latere dehiſcant ab apice primo ad ſecundum, equidem fateor, me celeb. *Swartzii* ad opinionem accedere nequire.

Quod vero *Swartzius* [14]) optime monet de *Botrychii* capſulis, eas eſſe »avenuloſas« (ſeu *non ſtriatas*), »ſubſtantiâ craſſiori ſubcoriaceâ« compactas, hoc de omnibus, quod videam, generum *Swartzio* Filicibus *affinium* nomine appellatorum ſporangiis pariter valet. Itaque haec genera, hucusque uti ad eundem ſic dictum ordinem *naturalem* pertinentia tantum ſegregata, tanquam alterum *ordinem artificialem, capſulis valvibus dehiſcentibus* inſignem,

13) l. l.
14) l. l.

VALVVLATARVM

ſub nomine proponerem.

*Danaea* vero et *Marattia* genera optime a *Swartzio* [15]) conjuncta ſub exannulatarum multilocularium phalange *ſporangia* habent *compoſita*, vel conſtructa e conceptaculo univerſali, plures in gremio fovente minores capſulas, quarum unaquaque propriis munita eſt parietibus. Ex his ideo duobus generibus non inepte tertius *ordo artificialis* conſtituendus eſſe mihi indetur, qui

COMPOSITARVM

ordo haud ſcio an ſit nuncupandus.

Omnia vero Filicum genera, quorum capſulae articulato annulo cincta obſervantur quartum conſiciunt *ordinem* veriori ſenſu dictum, quem cum *Bernhardio*

GYRATARVM

ſub voce lubentius quam *annulatarum* comprehenderem, ne terminorum confuſione confunderetur ipſa diſciplina. Eſt enim annuli vox jam olim tanquam parti cuidam in Fungis obviae tributa ſancita.

---

15) Genera et ſpecies Filicum cet.

## COMPOSITAE.

Harum ab ordine eximentes *Danaeam* parum, me judice, viderunt *Smithius* [16]) et *Bernhardius.*

## GYRATAE.

*Gyratae* Filices *indufiis* feu *involucris* (*perifporangiis* Hedw.) partim carent, partim iis funt praeditae. Indufia vero, in plurimis obvia generibus, funt vel *propria* feu *vera* (Swartzio *fuperficiaria*), vel e frondis margine inflexo conftructa, feu *fpuria.* Unicum *Dickfoniae Smith.* genus unum *fpurium*, alterum *proprium* feu *verum* habet involucrum.

Clar. *Bernhardi* [17]) nuperrime *Afplenio* generi *Lonchitidem* quoque nec non *Pteridem* jungenda effe cenfens, differentiam nequaquam fpernandam inter *vera* et *fpuria* indufia neglexiffe Filicesque in unum coegiffe videtur genus, quae ne ejusdem quidem funt fubordinis. Nec minus *Michauxius* [18]) *annulatos* Filices in *perigenefas* hypogenefasque dividens illisque pari modo adnumerans

16) ll. faepius cc.

17) Veber Afplenium und einige ihm verwandte Gattungen der Farrnkräuter. Erfurt 1802. 8. — Diar. botan. Schrader. T. IV.

18) l. c.

*Vittariam*, *Pteridem* atque *Adiantum* hujusce diſcriminis prorſus immemor lapſus eſt. Sunt nimirum *Vittariae* induſia vera, *Pteridis* et *Adianti ſpuria*, uti *Onocleae*, quam male contra *hypogeneſis* auctor adnumerat.

*Vera* porro Filicum *gyratarum* induſia ſunt vel *ſimplicia* vel *duplicia*. Duplicibus utuntur *Vittaria* atque *Scolopendrium*. Sed de hoc cf. *Bernhardi* in laudatâ diſſert. p. 13. *Diplazium* genus *Swartz.* geminis ſporangiorum deprehenditur acervulis, quorum quisque ſuo tectus eſt involucro, in hoc externe, in illo interne dehiſcente.

*Trichomanis* et *Hymenophylli* induſia pro veris habenda eſſe, cenſuerim hujus forte pro duplici.

## RIMATAE.

Rimata genera induſiis egent, uno excepto *Lygodio Swartz.*

## VALVVLATAE.

*Ophioglossum* induſio munitum ſit necne, in dubium vocatur. Tribuerunt ei tale *Rothius* [19]) *Bernhardius* [20]) aliique, quod *Swartzius* vero negavit. *Bernhardius* au-

19) Tentam. Florae german.

20) Diar. botan. Schrader. T. IV. p. 130.

tem [21]) in *Lycopodiis ſpicatis* ſpicarum ſquamas ſporangiorum induſia eſſe cur contenderit eqnidem haud extricare valeo.

Multiloculari capſulâ inter valvulatas Filices ſunt *Pſilotum* Swartz. (*Bernhardia* Willden.) nec non *Tmeſipteris* Bernh. (Lycopod. *tannenſe* Sprengel.). Sed horum generum capſulae minime ut *Danaeae Maraltiaere* compoſitae; demtis nempe *Pſiloti* capſularum tribus vel Tmeſipteridis binis valvulis, nulla paries externa remanet ad continendas ſingulas ſporas, ne elabantur, uti ſeſe habet res in compoſitis generibus.

---

## *Hemionitis* Sw.

A cel. *Smith.* in errorem inductus *Bernhardus* ut *Hemionitides* Filices induſio praeditas putaret, cum in Acroſtichum *ruſum* L. inquireret idque induſio deſtitutum reperiiſſet novum condere [22]) genus, *Gymnopteridis* ſub nomine, coactus fuit, quod quidem genus ab *Hemionitide Sw.* minime recedit: cf. Diar. botan. Schrader. T.V. p. 274.

21) l. c.

22) Diar. botan. Schrader. T. I. p. 297.

## *Diplazium* Sw.

Quod contra olim [23]) *Hemionitidis* ſub nomine propugnavit *Bernhardius* genus, quodque nunc [24]) ab *Aſplenio* ſuo non amplius ſeparatum vult, idem eſt ac Swartzianum *Diplazium*. Sed malum generis exemplar olim propoſuit clar. vir Hemionitidem *lanceolatam* L., quippe quae omni induſio plane careat, veraque habenda ſit Swartzii *Hemionitis*.

## *Cyathea* Sw.

Cel. *Smith.*, neſcio, quibus rationibus permotus, jungens cum exoticis *Cyatheis*, ſporangiophorâ gaudentibus columnâ nec non periſporangio apice rumpenti quasdam Europaeas Filices, *Aſpidia* apud Swartzium, v. c. Polyp. *fragile* L. plurimis recentiorum botanicis anſam praebuit, vanam generis *Cyatheae* concipiendi ideam. Clar. *Bernhardius* itaque cum primum veram vidit hujus generis ſpeciem, Polyp. puta *medullare* Forſt. [25]) novum ex hoc condidit genus, *Sphaeropteridis* nomine nuncupatum, cujus

23) Diar. botan. Schrader. T. I.

24) Diſſertat. ſupra cit. — Diar. Schrader. T. IV.

25) Diar. botan. Schrader.

optime delineavit genericum characterem in tab. I. T. IV. Diar. botan. Schrader. adjectâ.

*Schizaea* Smith.

Hujus generis characterem *Smithius* [26]) dubium adhuc atque in ambiguo pronuntiavit; attamen inter Filices annulatos *Schizaeam* enumeravit, quo in errorem induxit *Swartzium* [27]), ut eo loco hocce genus retineret. Clar. *Bernhardi* [28]) Acrostichi *dichotomi* e collectione Forsterianâ accepti capsulas unâ cum *Sprengelio* exannulatos videns, male inde effecit, Forsteri Filicem diversam esse a Linneanâ, quippe quam *Smithius* ad *Schizaeam* retulisset. Nullam enim usquam *Schizaeae* generis speciem antea vidit. Ita inductus est, ut segregans Linnéanum Acrost. *dichotomum* atque Forsteri: unum ex hoc novum constitueret genus *Ripidium*. Sed minime dubitari potest, Forsteri Acrost. *dichotomum* plane eandem esse ac Linnéanam speciem; cf. quoque Diar. botan. Schrader. T. V. p. 298. Itaque Bernhardii genus *Ripidium* ad pristinam referendum *Schizaeam*.

26) l. c.

27) Genera et species Filicum.

28) Diar. botan. Schrader. T. IV. p. 127. 28

## *Lygodium* Swartz.

Optime monet cel. *Swartz.* [29]), de nullo fere genere a recentioribus ſomnia plura eſſe prolata, quam de ſuo *Lygodio*. *Willdenovius* [30]) ejusdem generis auctor ſub nomine *Hydroglossi*, non aſſecutus eſt induſia (*propria*) ſquamaeformia in omnibus *Lygodii* ſpeciebus ſane manifeſtiſſima capſulasque ſuo generi »nudas« tribuit. Cel. *Bernhardi* [31]) in *Willdenovii* Hydroglosſo *palmato* vidit quidem haecce induſia, ſed, mirum! in Ophioglosſo *ſcandente* aciem ejus prorſus ea fugerunt. Igitur minus apte a *Willdenovio* deſcriptum genus male diſpeſcuit in duo *Gisopteridem* nempe et *Odontopteridem*, quorum vero capſulas, quamquam bene contra *Willdenovium* monuerat, eas rimâ dehiſcere, nec eſſe bivalves, uti urceolos perperam depinxit in tabulâ diſſertationi adjectâ [32]). Cel. etiam *Cavanilles*, qui cum *Swartzio*, ut olim *Smithius*, ita recentiori tempore de Filicum familiâ illuſtrandâ optime meruit, capſulas

29) Diar. botan. Schrader. T. V. p. 301.

30) in diſſertat. ſaepius jam laudatâ.

31) l. c.

32) Diar. botan. Schrader. T. IV. p. 11.

*Lygodii*, *Ugenae* nomine ab eo inſigniti, *nudas* contra naturae veritatem exhibuit; cf. *Swartz.* in Diar. botan. Schrader. T. V. p. 301. Poſt *Swartzium* autem, qui jam in Filicum *Diſpoſitione* 33) »capſulas ſolitarias, intra ſingulas ſquamulas imbricatas, diſtichas ſpicarum marginalium pinnarum frondis ſeſſiles« *Lygodio* ſuo adſcripſit, clar. *Michaux* 34) fere unicus fuiſſe videtur, qui veram intellexit rationem, quâ ſe habeat, *Lygodii* fructus. Suo enim generi *Cteiſio*, quod idem ac noſtrum *Lygodium*, tribuit »ſpiculas lineares, ſubtus a reflexis utriusque marginis tabulis bifariam imbricatas«, nec non »ſporangia ſingulatim ſub ſingulis lobulis retenta.« Sed et ipſo acutiſſimo Swartzio, me judice, melius de Lygodii fructu diſputavit *Michauxius.* Nam ut taceam, *Swartzium* olim 35) *Lygodio* tribuiſſe capſulas »bivalves« verba a *Michauxio* de *Cteiſii* ſporangiis prolata: »transverſim ovoidea, ab apice interno diſſimili ad externum (bivalvi —) dehiſcentia«, exceptâ *bivalvi* voce, melius quadrant cum verâ horum ſpo-

33) Genera et ſpacies Filicum, l. c.

34) in Florâ boreali-americ., jam collaudatâ.

35) Genera et ſpecies Filicum.

rangiorum ratione, quam novus a *Swartzio* [36]) calamo et penicillo perſcriptus *Lygodii* generis character:

»Capſulae in ſpicis unilateralibus marginalibus pinnarum frondis intra ſingulas ſquamulas diſtiche imbricatas, ſeſſiles ſolitariae, uniloculares, apice concentrice ſtriatae, latere verticaliter dehiſcentes. Semina numeroſiſſima, ſubrotunda.«

Qui enim in figurâ *Swartzii* [37]) antrorſum ſpectatur apex concentrice ſtriatus«, reverâ in geminarum quâque ſpicularum ſerierum ad internum vergit latus, ut ei, quod *Michauxius* poſuit: »ſporangia — transverſim ovoidea ab apice interno diſſimili ad externum cet.« libenter calculum adjiciam.

Denique in opere danico: *Skrifter af Naturhiſtorieſelſkabet*, in Vol. V. Faſc. II. perſingularis exſiſtit fructûs *Lygodii* figura, cujus vero nullam plane in toto Faſciculo reperi mentionem, quae itaque quo caſu hic adjecta ſit omnino neſcio. Haec vero figura optime quidem ſiſtit *Lygodio* propria, at a *Willde-*

36) Diar. botan. Schrader. T. V.

37) l. c. T. II. f. II. c. e.

*novio*, *Cavanillesio*, *Bernhardio* neglecta indusia; sed ipsas Filicis capsulas (eheu mirum!) uti duobus ex hemisphaeriis, horizontali situ sibi incumbentibus constructas et ita operculatas proposuit, in quem errorem quomodo, nescio quis, dissimili interioris apicis et majoris externae partis capsulae ovoideae constructione induci potuerit, equidem non intelligo.

---

Beatus *Jo. Hedwigius* 38) cum novo *Muscorum frondosorum* systemati condendo animum impendisset, principio sibi proposuisse fatetur, se primarias desumturum esse pro hoc systemati subdivisiones e partium genitalium atque perianthii, secundarias solummodo ex oris seu peristomatis diversis rationibus. Quod vero propositum cel. vir, respectu habito difficultatum, quae exsuperandae essent, si quis singulas muscorum species ad illius normam exigeret, eatenus mutavit, ut contra peristomatum rationes primaria, sexus atque perianthiorum secundaria constituerit divisionis fundamenta. Qui-

38) Fundament. Histor. Muscor. T. II. p. 80.

bus innixus principiis vir in minimarum plantarum analyſi et disquiſitione prae omnibus eximie verſatus, ſyſtema frondoſorum muſcorum abſolvit, xxxv demum [39]) complectens harum plantarum genera contra ſex, quae *Dillenius*, novem, quae Linnéus poſuerunt.

Sed jam admonuit ill. Praeſes *de Schreber* [40]) Hedwigianorum generum ea, quae unicum agnoſcerent characterem ſexûs diverſitatem vel diſcrepantem perianthii florum maſculorum formam (uti *Mnium* et *Bryum*) minus firmo ſuperſtructa eſſe fundamento. Qui enim majoribus in plantis tot tantisque vexatur naturae luſibus ſexus, non magis firmus conſtansque reperitur minutis in muſcis. Mnium *crudum*, ipſo *Hedwigio* [41]) adnotante, haud raro hermaphroditis gaudet floribus; ut alia exempla hic praetermittam. Simul autem genitales partes non omni tempore ita faciliter obſervandae in muſcis, ut ſyſtema ſatis apte his partibus ſit ſuperſtruendum, nedum florum maſculorum diverſa

39) Species muſcor. frondoſor. Opus poſthumum, editum a Schwaegrichen.

40) Linnéi genera plantar. Edit. 8.

41) Stirpp. cryptogg.

forma (utrum referant capitulum, an ſint diſcoidei) ad conficienda genera ſcrutatione digna ſit; quam quidem rem, uti dicitur, et ipſe *Hedwigius* antequam diem ſuum obiit, tam perſpicue intellexit, ut certiſſime *Mnii* et *Bryi* genera demum conjunxiſſet, niſi maturâ morte, proh dolor! omnibus praereptus eſſet. Conjunxit itaque ill. *Schreber* Hedwigiana genera *Gymnoſtomum* et *Hedwigia* ſeu *Anictangium* in *Gymnoſtomo* ſuo, *Weiſſiam* et *Grimmiam* in ſuâ *Grimmiâ*, *Dicranum* et *Fiſſidentem* in ſuo *Dicrano*, *Didymodon* et *Swartziam* ſeu *Cynontodium* in *Didymodonte* ſuo, *Tortulam Barbulamque* in ſuâ *Tortulâ*, *Weberam*, *Bryum* et *Mnium* denique in ſuo *Bryo*. *Arrhenopterum* Hedwigii ignotum ei adhuc fuit, quippe quod ſerius innotuerit. Certe enim ſi ei in notitiam perveniſſet, et id cum *Bryo* ſuo junxiſſet. Sed habitu quidem diſtinctiſſimum *Hypnum*, quamquam non niſi floribus femineis in foliorum axillis lateralibus, praeter ſexum, differat a ſuo *Bryo*, proprium genus eſſe admiſit. Nec minus ob ſurculum ſimplicem *Pohliam* reliquit in generum numero, de *apophyſi* hoc in muſco obviâ characterem non ſatis aptum delineans ad genus diſtin-

guendum. Innumerabilia autem evaderent nova mufcorum genera, fi ab apophyfi notis defumtis femper genera conftituerentur. Nec apophyfis, quamquam pars fructus, ad propagationis officium quidquam confert. *Encalyptam* autem (Hedwigii olim *Leerfiam*), exclufâ unicâ fpecie, *lanceolatâ*, fancte fervavit ex calyptrâ laxâ, campanulatâ, huic generi propriâ, nec non *Sphagnum*, cum *Gymnoftomo* alias jungendum, ex calyptrae parte inferiori abruptâ, circa fporangium inferne refiduâ.

Poft *Schreberum* clar. *Willdenow* [42]) de novo Hedwigianum mufcorum fyftema ad perfectum adducendi provinciam fibi fufcepit. In hanc rem altius inquifiturus, multa egregie difputavit vir plantarum cryptogamarum amore non minori quam phaenogamarum captus, de neceffitate fyftemata mere artificalia componendi, nec vagas fic dictas *naturales* anteponendi methodos normis, etfi naturae non femper convenientibus, attamen firmis, cognitionisque acquirendae bonum praebentibus filum ariadneum. Solummodo e *periftomate* characteres defum-

42) Diar. botan. Schrader. T. II.

tos vult, ut muſcorum frondoſorum genera dignoſcantur. Sed hancce partem bonis muſcorum generibus, h. e. quae nec ſint vaga, nec magis a naturâ recedant, quam neceſſe eſt quamque decet, condendis minime ſufficere, acutiſſimum virum, cum ſua elaboravit genera, ſugere non potuit. Ut taceam, *Phaſci* genus ab operculo non diſcedente unum petere characterem, *Sphagnum* a *Gymnoſtomo* conjuncto non niſi apophyſi, *Fontinalis* a *Meeſiâ* non niſi perichaetio apud *Willdenovium* differunt.

Sagaciſſimum *Ehrharti* ingenium eam muſcorum partem, quam principio *Hedwigius* horum vegetabilium appellaverat corollam, quamque vaginulae calyptraeque ſub vocibus complexus erat, jam olim perbene *periſpermium* dixerat muſcorum *exterius*, atque hujus et periſpermii exterioris diverſâ conditione quaedam conſtituerat muſcorum genera, uti *Polytrichum*, *Catharineam*, *Weiſſiam* ſuam (Hedwigii *Orthotrichum*). Summi viri veſtigia premens jam diu cogitavi, muſcorum genera ita eſſe condenda, ut *duplex ſporangium in univerſum reſpi-*

*cias.* Quam ad methodum, quae insequuntur, pono muscorum genera:

*Phascum* Schreb.
*Sphagnum* L.

Optime hoc genus *perispermii exterioris* Ehrh. e conditione distinguitur a ceteris omnibus muscorum generibus atque in specie a *Gymnostomo.* Quod enim *perispermium exterius* (*perisporangium* Hedwigianâ methodo melius denominandum) omnibus aliis in muscis *setam*, seu pedunculum (Hedw.) unâ cum capsulâ simul includens communi partium genitalium e receptaculo ortum ducit, in *Sphagno*, singulari totâ structurâ musco, minime oritur e communi receptaculo, sed ex apophysi (*orbiculo* hîc dictâ), cui insidet capsula, ac eo modo setam excludit, capsulam solummodo investiens.

*Gymnostomum* Schreb.
*Schistostega* mihi.

*Dicksonia* Ehrh. Singularis in Mnio *osmundaceo* Dicks. capsulae operculi natura[43]) eo jure genus ad condendum adhibenda esse videtur, quo in *Phasco* persiliens

43) Cf. Hedwig. Stirpp. cryptogg. Vol. I. T. XXIX.

operculum. Quâ causâ commotus, puto, *Ehrhartus* huncce muscum suis in *Decadibus* *Dicksoniae pusillae* sub nomine evulgavit. Sed recentiores omnes, quorum mihi copia fuit, viri optimi sententiam plane neglexerunt. Restituendum igitur putavi genus, novo tamen sub nomine. Est enim *Dicksonia* nunc appellatum Filicis genus, ab omnibus jam receptum.

*Schistostegae* character constat ex operculo, non, ut in ceteris muscis (*Phasco* excepto) integro decedente, sed apice fisso in lacinias plures revolvendo-aufuges, quibus jam elapsis stoma nudum in sensus incurrit.

Nomen derivatum a graecis vocibus σχιζω et ςεγη.

*Tetraphis* Hedw.
*Andreaea* Ehrh.
*Splachnum* L.
*Encalypta* Schreb.
*Leptodon* mihi.

E *Pterigynandris* Hedwigii eas species hoc novo sub genere complector, quibus calyptra est sic dicta *sursum pilifera*, uti Pt. *trichomitrium*, Pt. *subcapillatum*, nec non Hypn. *Smithii* Dicks. cf. *Swartz.* in Diar.

botan. Schrader. T. IV. p. 173). *Orthotrichi* polymorphum genus, si retineatur solummodo ob calyptram pharaphysibus ex ipsà ortis, erectis investitam, nescio, cur non eodem modo sit per se ponendum hocce a me primum propositum genus, peristomate gaudens *Grimmiae*, *Orthotrichi* calyptrâ. Nec deerunt tropicae species perplures, huic generi posthâc adscribendae, quod mihi ditissimum muscorum Herbarium Swartzianum abunde persuasit.

Nomen derivatum e graecis vocibus λεπτος et ὀδους.

*Grimmia* mihi.

Hedwigii *Weissiam*, *Grimmiam*, *Pterigynandraque* plurima nec non Encalyptam *lanceolatam* peristomate minime discrepantes muscos bene jam *Willdenovius* [44]) in unum genus coëgit. Sed ex nullâ in genere sporangii vel perisporangii parte hi musci diversi apparent; quà de causà quo minus eos conjungam nullum me remoratur impedimentum. Sed et *Octoblepharum* hanc meam ad *Grimmiam* ut referam necesse est. Primo

44) l. c.

enim ex ipſius Linnéi, viri ſine exemplo maximi, auctoritate quarundam per anomaliam partium numerus diminutus in generibus condendis nauci floccique habendus. Tum *Octoblephari* genus retentum, *Fiſſidentem* Hedwigii *ſemicompletum* genus pronuntiare, *Didymodonta* in duo diſpeſcere genera, *Orthotricha* tandem contra omnem naturae rationem in plura divellere me cogeret.

Perſuaſum mihi eſt, fore, qui ob habitum diſtinctiſſimum *Pterigynandri*, *Pohliae*, *Hypni* antiqua genera ſancte ſervanda jubeant. Sed quid tandem habitus in artificiali methodo? Genera in ſyſtemate artificiali genere artificialia ſemper exiſtant neceſſe eſt. A natura enim nulla genera proficiſcantur neceſſe eſt, ne cum generum in dies mutatâ forma et nomina, queis ſine nulla in totâ hiſtoriâ naturali certitudo, ſemper mutantur. Generum quorundam meâ ex methodo pariter vituperabunt majorem, quam licet, amplificationem. Sed nihilo citius tiro in ſyſtemate muſcum inveniet, ſi ſeparata habeat genera *Bryum* et *Hypnum*, quam ſi conjunctum genus divellatur in ſpecies flore femineo terminali inque eas, qui-

bus hic flos axillaris vel lateralis est. Bonae generum subdivisiones omnia incommoda e nimis amplis generibus, si quis species indagare in animum inducat, oriunda amovent. Nomina vero hâc methodo semper fixa, quae alias per omne tempus mutationi obnoxia.

? *Trematodon* Michaux.

Fl. bor.-améric.

Dubius propono genus, quod hucusque nondum observavi, cujusque hunc sistit characterem clar. auctor: »*Fructificatio* utraque terminalis. *Sporangium* stipitatum. *Peristomii* simplicis dentes 16, distincti, subulati, recti, foraminulis pertusi.« Haud scio, an conveniat hocce genus cum quibusdam Grimmiis, uti *plagiopodiâ*, aliis?

*Dicranum* Schreb.

*Trichostomum* Hedw.,

assumtâ Hedwigii Barbulâ *curtâ*, bene monente *Willdenovio* [45]).

*Conostomum* Swartz.

Genus a sagacissimo conditore mox describendum. Constituunt vero hocce genus

45) l. c. ...

Bryum *tetragonum* Dickſ. et altera nova ſpecies tropica.

*Didymodon* Schreb.

· *Barbula* Willden. [46])

*Tortula* Schreb. *Barbulae* nomen praeferendum ob *Tortulae* genus phaenogamum.

*Syntrichia* Bridel. [47])

Differunt *Syntrichiae Barbulaeque* periſtomata uti interna *Neckerae Leskiaeque.* Genus bonum videtur.

*Catharinea* Ehrh. [48])

Genus periſtomate *Polytrichi*, calyptrâ *Orthotrichi*, ſemper retinendum.

*Polytrichum* L.

*Orthotrichum* Hedw.

*Neckera* Hedw.

*Leskia* mihi.

*Leskia* et *Pohlia* Hedw. non niſi ſexu et inflorefcentiâ diverſae, minime igitur ſecundum propoſita principia amplius ſejungendae.

46) l. c.

47) Diar. botan. Schrader. T. III. p. 299.

48) Beyträge zur Naturgeſchichte.

*Cinclidium* Sw. [49])

*Timmia* Hedw.

*Hypnum* Willden. [50])

*Hypnum* et *Bryum* Schreb., *Hypnum*, *Mnium*, *Webera* et *Arrhenopterum* Hedw. Cf. quae ſupra adnotavimus ad *Grimmiae* noſtrum genus. Diſcrimen, quod *Hedwigius* periſtomate interno *Weberam* inter ac Schreberianum *Bryum* [51]) ſtatuiſſe videtur, pace ſummi viri vix ſatis aptum me cenſere fateor.

*Climacium* Web. fil. et mihi. [52])

Hypnum Linnéi *dendroides*, a quibusdam peſſume relatum ad *Neckerae* genus, ab *Hedwigio Leskia* nuucupatum, proprium omnino conſtituere videtur genus, hoc charactere: *Periſtoma duplex, exterius* 16 *dentatum*, *interius* XXXII *e membranâ proceſſubus per paria approximatis per trabes apiceque conjunctis.*

49) Diar. botan. Schrader. T. V.

50) l. c.

51) v. characteres generum *Weberae*, *Mnii*, *Bryi* et *Arrhenopteri* in *Specc. Muſcor.*

52) Naturhiſtoriſche Reiſe durch Schweden, p. 96.

Nomen e graecâ lingua amicus *Weber* et ego deſumſimus a voce $\kappa\lambda\iota\mu\alpha\xi$, quia ſcalam non male referunt proceſſuum ſingula paria.

*Bartramia* Swartz. 53)

*Fontinalis* Hedw.

*Diplocomium* Web. fil. et mihi. 54)

*Timmia* Willden. Ita differunt periſtomate Hedwigii Meeſiae *longiſeta* et *uliginoſa*, ut non niſi habitu ſibi proximos muſcos atque partibus ſexualibus convenientes uno jungi voluiſſe queat genere ſyſtematis muſcorum ſummus conditor. Meeſiae *longiſetae* internum periſtoma 16 e ciliis ad baſin usque liberis, ſed per paria approximatis conſtat, *uliginoſae* vero duplici ex numero per paria approximatarum apiceque connatarum, inter paria vero rete expanſo. Bene igitur clar. *Willdenow*. 55) duos hoſce muſcos ſegregavit. *Timmiae* vero nomen, quod Meeſiae *longiſetae* tribuit, cum Hedwigii *Timmiam*

53) Diar. botan. Schrader. T. IV. p. 180 ſqq., quo loco cel. *Swartz Bartramiae* generis characterem optime reformavit.

54) Reiſe durch Schweden.

55) l. ſaepius l.

ſuâ cum *Leskia* conjunxerat, me judice vix eſſet retinendum, etſi reverâ generum e numero amoveri deberet Hedwigii *Timmia.* Magnopere enim turbant generum eadem nomina, mox huic, mox illi tributa generi. Noſtrum derivatum e graecis vocibus διπλος et κομη.

*Meeſia* Willden.

Meeſia *uliginoſa* Hedw. Cf. quae ſub *Diplocomii* genere adnotavi. Meeſia *dealbata* Sw. abhorret a generis charactere, et *Leskia* eſt noſtram ad methodum, vel *Pohlia* auctorum. Quid vero ſit Willdenovii Meeſia *nutans* [56]), quis explicet?

*Funaria* Schreb.

*Diphyſcium* mihi.

Quam in Buxbaumiâ Linnéi *aphylla Ehrhartus proceſſulorum* dixit *coronam* [57]), periſtoma interius inter et exterius ſitam, hinc vero adnexam, minus apte, prout videtur, *Hedwigius* ſingularem *annuli*, in quibusdam muſcis obvii, ſpeciem declaravit. Muſcorum *annulus*, operculo excuſſo liber

56) Prodr. Florae Berolin.

57) Beyträge zur Naturgeſchichte.

ſtatim ſemper elabitur. Stupa vero Buxbaumiae *aphyllae* truncatis dentibus internâ paginâ affixa perſiſtens eſt. Caret omnino hâcce ſtupâ *folioſa* ſpecies; quâ re optime, uti cenſeo, duos muſcos, quibus nulli alii magis toto habitu diſcrepantes reperiuntur, oculatiſſimus *Ehrhartus* totidem in genera diſpeſcuit *Folioſam* ſpeciem [58]) Weberam dixit *Diphyſcium*, *aphyllam* antiquo *Buxbaumiae* ſub nomine retinuit. *Weberi* vero, de plantis Hercyniae cryptogamis olim meritiſſimi, nomine, praeter Hedwigianum muſci genus, jam pentandra planta tropica condecorata eſt plurimisque ſancita. Itaque trivialem Ehrharti vocem, tanquam ſubſtantivum, pro novo conficiendo generico nomine lubenter recepi. Audiat poſthâc Buxbaumia *folioſa Diphyſcium folioſum.*

*Buxbaumia* Ehrh.

---

58) l. c.

Jam igitur de iis a clar. *Rothio* in tribus operibus, *Catalector.* nempe *botann.* Fafc. I et II, nec non in *Tentam. Fl. germ.* T. II. P. I. memoratis *Algis aquaticis*, quae ad antiquum *Confervarum* genus *pertinent*, quaedam monere mihi in animo eft.

## Ceramium *virgatum.*

Dubitanter in Catall. Fafc. I. p. 148, nec non in Fl. germ. p. 462. allegatum Conf. *fucoidis* Hudf. fynonimum non eft hujus loci, fed ex fpeciminibus, quae Angli afferunt Hudfoni fpeciem, referendum ad Cer. *violaceum.* Contra Hudfoni Conf. *rubra* omnibus numeris convenit noftro Cer. *virgato.* Maxima caeterum hujus fpeciei ac Conf. *diaphanae* Lightf. eft affinitas.

## Ceram. *elongatum.*

Synonymis Conf. *elongatae* Hudf. et Conf. *nodulofae* Lightf., huic fpeciei bene appofitis, adjungendum ex mente Anglorum Fuci quoque *diffufi* Hudf. Sed ita proximum hoc Cer. *elongatum* antecedenti Cer. *virgato*, ut an rite ab eo fit diftinguendum non poffim quin dubitem.

Ceram. *violaceum.*

Secundum quae monuimus hic referenda eſt Conf. *fucoides* Hudſ.

Ceram. *fruticuloſum.*

Eadem eſt, ſecundum ſpecimina ab Anglis miſſa, Conf. *purpuraſcens* Hudſ.

Ceram. *hirſutum.*

Referenda ſunt ad hanc ſpeciem tum Conf. *coccineae* Hudſ., tum Conf. *plumoſae* Elliſ. et Lightf. ſynonyma.

Ceram. *pennatum.*

Conf. *pennatae* Hudſonionum ſynonymum nec non *Raji* huic ſpeciei, Conf. *ſcopariae* quodammodo ſimili, alieniſſima, uti patet e ſpeciminibus a cel. *Turner* miſſis pro Hudſoni Confervâ.

Ceram. *denſum.*

Quam maxime recedit ab hâc ſpecie Conf. *pellucida* Hudſ., contra quartam, quam fecit clar. *Roth.* in Fl. germ. p. 474. obſervationem. An vero hoc Ceramium vera ſit Conf. *vagabunda* (Dillen. v. 32.), in poſterum docebunt ſagaciorum curae.

Ceram. *caespitosum.*

In geniculatas species hocce Ceramium et de quo deinceps disputabitur, perperam relata videntur. Contrahuntur quidem hinc inde fila, sed non certis locis, nec eo modo, ut pro veris geniculis haberi queant hae contractiones. Caeterum plures certissime latent vere distinctae species sub hoc Ceramio, cujus indubitata censuerim synonyma Conf. *furcatam* Hudſ., nec non Conf. *abbreviatam* Schreb. Spicil. Una ex his speciebus est Conf. *frigida* Dillw.[59]; et forte omnes *Vaucherii*[60]) *Ectospermae* confusae sunt a clar. *Rothio* sub suo Cer. *caespitoso.*

Ceram. *dichotomum.*

Jam supra monuimus, vix ac ne vix quidem geniculatum nobis videri hocce Ceramium. Cf. quoque *Dillw.* Synopſ. Fasc. I. et nostram hujus operis editionem germanicam. Cer. *caespitosum β. maximum* scripto-

59) Dillwyn Synopsis of the british Confervae. Fasc. I. n. 16.

60) Vaucherii Histoire des Conferves d'eau douce. A Geneve. An XI.

rum Rothianorum, secundum specimina ab ipso auctore collecta, hûc referendum.

Conferva *fontinalis.*

Planta cel. auctoris, exclusis synonymis certe Linnéi et Fl. dan., est Conf. *limosa* Dillw. [61]) uti ex specimine ab ipso *Rothio* accepto intellexi.

Conf. *velutina.*

Filamentorum diametro minori nec non colore violaceo mihi solummodo diversa videtur haec species ab antecedenti Conf. *fontinali.* Ramos enim a cel. *Roth.* ei tributos in speciminibus invenire nequivi.

Conf. *ochracea.*

Haec Conferva species partibus martialibus conspurcata videtur e tenuioribus hujus generis. Utrum sit Conf. *fugacissima* nostri auctoris, an quaedam alia, e speciminibus divinari non valeo.

Conf. *amphibia.*

Vereor, ne auctor suâ sub Conf *amphibiâ* diversissimas confuderit species. Est enim,

61) Synops. Conferv. Britanniae, Fasc. II.

fecundum fpecimina ab ipfiffimo clar. viro lecta var. α. planta Ceram. *caefpitofo* fummopere affinis, var. γ. *atra* vero fingularis illa Ofcillatoria, quam fub *vaginatae* nomine defcripfit atque delineavit Clar. *Vaucher* [62]). Nec me fugit, et ipfius Conf. *limofae* Dillw. varietatem commixtam effe cum Conf. *amphibiâ.*

Conf. *frigida.*

Receptam vult nunc clar. *Roth.* pro hâc fpecie Conf. *frigidam* a *Dyllwinio* [63]) propofitam. Sed hanc eamque folam olim fumfiffe auctorem pro hâc plantâ quis, collatâ defcriptione, non negabit?

Conf. *rivularis.*

(*funiformis* olim.)

Antopfiâ Herbarii Rothiani, benigne mihi conceffâ, pro hâc fpecie clar. virum reverâ afſervare Conf. *rivularem* Fl. dan. edoctus fum, quam autem ramofam algam non poffum non cenfere Conf. *divaricatam* β. *elongatam* ipfiffimi noftri auctoris.

62) Hift. des Conferves d'eau douce.

63) Synopf. Fafc. II.

Conf. *ſpiralis.*

Meram illam Conf. *quininae* C.F.Mülleri varietatem articulis longioribus gaudentem, quam et *Dillwinius* [64]) ſub nomine Conf. ſpiralis delineandam curavit, clar. Rothium poſuiſſe pro hâc ſpecie nunquam credidiſſem, niſi hâc de re ſpecimina ab inventore hujus Algae, ſagaciſſimo *Trentepohl* quam humaniſſime mecum communicata me edocuerunt.

Conf. *bipunctata.*

An diſtincta ſit ſpecies haec Conferva, vel deſtructa forte Conf. *quinina* altiores excutient inquiſitiones.

Conf. *capillaris.*

Nullus porro haeſito, quin ſit haec *Rothii* Conf. *capillaris* mera Conf. *capillaris* L. (C. *Lini* R.) varietas, a ſolo natali orta.

Conf. *ferruginea.*

Prius deſcripta eſt Alga et delineata a clar. *Vellej.* [65]) ſub nomine Conf. *fucicolae.*

64) Synopſ. Faſc. I.

65) Marine Plants.

Conf. *cryſtallina.*

Elatam non cenſere nequeo hanc Confervam Linnéi *glomeratam*, auctoris *criſtatam.*

Conf. *pura.*

Nullum hanc inter Confervam et antecedentem C. *criſtallinam*, ſecundum ſpecimina, invenire poſſum diſcrimen.

Conf. *glauca.*

Vix apte hanc Confervam in Catall. Faſc. II. delineavit amiciſſimus *Mertens*, feliciſſimus apud nos Algarum ſcrutator. Minime eo, quo depingebantur modo ſeſe habent genicula. Eſt vero haec Conf. *glauca* leviſſimi momenti cenſenda varietas Conf. *rupeſtris.*

Conf. *virgata.*

Nec haec Conferva quibus differat numeris, niſi elongatis filis, a Conf. *rupeſtri* L. et Roth. e cel. *Rothii* Herbario videre potui.

Conf. *Aegagropila β. laxa.*

Aeque diſſimilis eſt haec Conferva Linnéi Conf. *Aegagropilae*, ac ſimilis Conf. *proliferae* auct., quacum ut conjungam quid impediat, equidem non video.

Conf. *fasciculata.*

Nec hanc Algam ex speciminibus diversam esse putare queo a Conf. *proliferá.*

Conf. *catenata.*

Uti antecedens secundum exemplaria cum auctoris Conf. *proliferá* jungenda mihi visa est.

Conf. *diaphana.*

Ramuli extremi forcipati non semper reperiuntur in hâc specie, quae itaque passim minus eam dignoscendi ansam praebet algologo. Var. ejus *β. atropurpureá* Roth. persimilis est Conf. *rubrae* Huds., auctoris nostri Ceram. *virgato.* Sed ex tertiâ a clar. *Roth.* in Catall. Fasc. II. p. 227. allatâ observatione ne eandem putes speciem Hudsoni Conf. *setaceam.*

Conf. *elegans.*

Omnibus numeris convenientia video hujus et Conf. *diaphanae* specimina.

Conf. *globulosa.*

C. *diaphanae*, polymorphae speciei varietatem ut credam, e speciminibus collatis necesse est nodosam hanc dictam Conservam.

Conf. *moniliformis.*

Nomen esset mutandum ob Conf. *moniliformem* ab *O. F. Müller* descriptam et delineatam in Nov. Act. Holm. anni 1783, nisi et haec species Conf. *diaphanae* censenda esset varietas.

Conf. *pilosa.*

Innumeris collatis hujus Confervae atque affinium specierum speciminibus vix porro haesito, quin sit Conf. *diaphana* prolificans.

Conf. *fastigiata.*

Dijudicent posteriores investigationes, an sit vere diversa haec Conferva a Lightfootianâ *diaphanâ.*

Conf. *capillata.*

Ob villos ramulorum apicibus insidentes haec Conferva propria species vix censenda est. Hi enim villi, de quorum naturâ e posteriori tantum indagatione certi quid afferre licebit, in plurimis Confervarum speciebus, justo tempore, observantur. Congruere videtur haec Conf. *capellata* cum *fucoidi* Huds. (Cer. *violaceo* nostri auctoris.)

Conf. *cancellata.*

Removeas ab hâc auctoris ſpecie *Linneanum* ſynonymum nec non *Dillenianum.* Itaque deleas primam tertiamque adjectam obſervationem. Eſt reverâ haec Rothii Conf. *cancellata*, *equiſetifolia* Lightfootii, *imbricata* Hudſonii

Conf. *flocculoſa.*

Alieniſſimum videtur naturae productum a Confervarum genere, ſub quo vix poſthâc erit relinquendum.

Conf. *bronchialis.*

Antecedenti Conf. *flocculoſae* ſimillima eſt, nec eo minus Confervarum e numero videtur eximenda.

Hydrodictyon *tenellum.*

Nil niſi *majoris* Conf. *reticulatae* L. infans habendum eſt, quam rem ex innumeris *Bremae* lectis cum amiciſſimo *Mertens* ſpeciminibus certius cognovi.

---

# CORRIGENDA.

Lecturi velint corrigere perplurima typographi errata insequentia, quae absens a prelo auctor castigare nequivit, quae non raro autem omnem tollunt sensum.

p. 7. l. 13. lege *Psilotum*
9. 11. lege longitudinales
18. lege censendas — ceterarum
12. 11. lege videtur
13. 4. lege *Bernhardius* 16)
22. lege *annulatas*
14. 15. lege esse censuerim,
15. 8. lege *Marattiaeve*
17. 6. lege annulatas
11. lege exannulatas
17. lege Forsterianum, ex
18. ult. lege T. IV. T. II.
19. 13. lege marginis lobulis
24. lege species
22. ult. lege Stirpp. cryptogg. Vol. I.
23. 9. lege *Hedwigiam*
25. 19. lege hujus e
27. ult. lege Dicks. (cf.
29. 15. lege mere artificialia
17. lege proficiscuntur. Nos ea exhibemus; sed firmae normae ut superstruantur
20. lege mutentur
32. 5. lege *Bryum*, *Mnium*
18. lege *approximatis*, *ipsis approximatis*
33. penult. lege Reise durch Schweden p. 177.
34. 20. lege huic vero
36. 5. lege T. III.

p. 37.

| | | |
|---|---|---|
| p. 37. | l. 12. | lege Hudſonianum |
| | penult. | lege (Dillen. V. 32.) |
| 38. | 18. | lege Faſc. II. |
| | 21. | lege Faſc. II. |
| 41. | 2. | lege O. F. |
| 42. | 2. | lege Elotam |
| 44. | penult. | lege *capillata* |
| 45. | 14. | lege nec ea |
| | 17. | lege *majoris* (Conf. *reticulatae* L.) |